



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**R. P. Fr. Ioannis Poncii, Corcagia-Hiberni, Ordinis Ff.
Minorvm, Sacræ Theologiæ Lectoris Ivbilati, Olim in
Collegio Romano S. Isidori Primarij Professoris;
Philosophiæ Ad Mentem Scoti Cvrsvs Integer**

Poncius, Joannes

Lugduni, 1659

Dispvatio XVII. De Tempore, ac duratione.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-95688](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-95688)

Ad secundam confirmationem respondeo negando minorem, est enim resistentia distantie termini à quo ad terminum ad quem, quæ sufficit; non est autem talis resistentia ad illuminationem: neque enim gradus luminis productus in vna parte aeris est qui trahit ad aliam, sed simul producuntur varij gradus, & partes luminis, vna in hac parte, & alia in altera: hic vero in casu nostro est idem corpus quod transit ab hac distantia maiori ad minorem.



DISPUTATIO XVII. DE TEMPORE AC DURATIONE.

Quamvis natura temporis rã difficilis visa sit S. Augustino, vt licet qualis fuerit, ipse conceperit, fateatur tamen se verbis eam explicare non posse: ac propterea nõ im merito præsumptioni attribui posset quod alius inferioris ingenij ac doctrinæ eius explicationem aggredereetur; tamen quia Philosophus, & cum eo cæteri expoliores de ea agunt, non erat prætermittendum, quin quam clare ac breuiter fieri posset, Scoti sententia proponeretur.

QVÆSTIO I.

Quid sit duratio, & quomodo distinguatur à re durante.

Quamvis durare in esse videatur importare perseverantiam quandam seu permanentiam, in esse, nec consequenter deberet dici quod res existens vnico tantum instanti duraret, aut haberet durationem vllam: tamen vsus communior dicendi iam obtinuit, vt omnia quæ existunt, dicantur durare, siue existant tempore aliquo diuisibili, siue solo instanti; vnde solemus respondere quæritibus quam diu solent durare res istæ vel illæ, annos, horas, instanti; & iuxta hunc vsum Scotus dicit q. 4. ar. quod si Angelus existeret pro vnico tantum instanti, adhuc duraret: hoc autem negare aut concedere quod fit improprius modus loquendi, est reducere rem ad questionem grammaticam de nomine, parui semper faciendam Philosopho, rem ipsam examini. Itaque iuxta hunc communior loquendi modum hic agendum de Duratione.

CONCLUSIO I.

1. Duratio non est actualis coexistentia rei ad tempus. Est conformis Scoti in 2. d. 2. q. 2.

Probat: quia potest res durare, existere ac perseverare in esse, etiam si nullum tempus esset, cui actualiter coexisteret, verbi gratia si Deus ante productionem Mundi produceret Angelum: ergo duratio nõ consistit in coexistentia actuali ad tempus.

De hoc hinc sequi quod non consistat necessario in coexistentia actuali ad tempus reale, non vero quin consistat in coexistentia ad tempus imaginarium.

Contra Duratio in tali casu esset realis, & actualis: sed coexistentia ad tempus imaginarium non est realis & actualis, sed imaginaria: ergo duratio realis non consistit in coexistentia ad tempus etiam imaginarium.

Confirmatur: quia res secundum eandem durationem posset realiter coexistere diuersis temporibus realibus: sed non potest habere eandem coexistentiam, siue realem ad diuersa tempora realia, siue imaginariam ad diuersa tempora imaginaria: ergo duratio non consistit in coexistentia actuali. Minor patet: quia diuersi termini, saltem qui non possunt simul existere, exigunt diuersas relationes, & consequenter cum coexistentia sit relatio, non potest esse eadem ad diuersa tempora, quæ nõ possunt esse simul. Maior probatur, quia duratio est res illa, à qua formaliter quid sit tanto vel tanto tempore, verbi gratia per tres horas vel dies, &c. sed potest res habere hoc quocumque tempore tanto existit: ergo, &c.

Obiicitur: non potest res intelligi durare sine ordine ad tempus, vel verum vel imaginarium: ergo dicitur

essentialiter ordinem ad tempus: sed non alium quam coexistentie: ergo &c.

Respondeo distinguendo antecedens, sine ordine actuali, nego. sine aptitudinali, concedo.

Dices ipsa res, quæ duraret per mediam horã, haberet aptitudinem ad durandum per integram horã, & tamen non haberet durationem vnus horæ: ergo duratio dicit aliquid vltra aptitudinem.

Respondeo distinguendo maiorem aptitudinem remotã, concedo; proximã, seu talem qualem haberet, si haberet durationem horæ, nego: & concessa minore similiter distinguo consequens. Itaque res durans duratione horaria verbi gratia habet talẽ aptitudinem proximã, vt eo ipso, quod sic duraret, sine vltiori conseruatione durationis posset coexistere cuicumque horæ tẽporis simul cum ipso incipienti; res vero existens, & durans media hora non haberet coexistere toti horæ incipienti simul cū ipsa, nisi vltius conseruaretur: ergo nõ haberet aptitudinem tam proximã quam haberet res, quæ duraret duratione horaria.

Obiicitur secundo, eo ipso quo intelligatur res actu coexistere tempori, intelligitur durare; ergo coexistentia actualis est duratio eius.

Respondeo, negando consequentiam, quia id non provenit ex eo, quod coexistentia illa sit duratio eius, sed ex eo quod necessario præsupponatur duratio ad illã coexistentiam. Sicut ergo non posset intelligi quod subiectũ reciperet actu calorem verbi gratia, quin intelligeretur existere, non quod receptio caloris esset existentia, sed quod præsupponeret existentia, ita in proposito. Ex his patet quod male explicetur duratio esse illud, à quo res habet formaliter esse nunc, vel tunc actus, sed potius dicendum est quod sit illud, à quo haberet res quod possit tanto vel tanto tẽpore existere, comprehendendo sub nomine temporis non solum partem diuisibilem eius, sed etiam instans indiuisibile.

CONCLUSIO II.

2. Duratio si consideretur in coexistentia relatiua actuali ad tempus, esset quid successiuum: & idem dicendum est, si esset aliquis modus, aut forma distincta à re durante, & actione, seu conseruatione eius, loquendo etiam de duratione tẽporaria rei permanentis. Est conformis Scoti supras.

Probat: prima pars: quia coexistentia quæ coexisteret vni parti temporis, non esset illa, quæ coexisteret alteri parti, nec illæ duæ coexistentiæ posset esse simul: ergo coexistentia totalis, quæ coexisteret toti isti tẽpori esset quid successiuum. Consequentia patet, quia illud est successiuum, quod constat partibus nõ potens simul existere. Probat: antecedens quoad primam partem: quia quod est essentialiter determinatio ad vnũ, nõ est essentialiter determinatio ad alterum, quod nõ potest esse simul cū illo vno, alius esset, & nõ esset essentialiter determinatio ad illud alterum; sed partes temporis, vt tales, non possunt esse simul: ergo quod est essentialiter determinatio ad vnã partem, nõ est essentialiter determinatio ad alteram partem; sed coexistentia rei ad tempus est essentialiter determinatio ipsius ad tẽpus: ergo &c. Probat: antecedens quoad secundã partem, quia coexistentiæ partiales ad aliquã nõ possunt esse simul, nisi illa possint esse simul: ergo cū partes tẽporis nequeant esse simul, coexistentiæ partiales rei ad illas nõ possunt esse simul.

Confirmatur: quia istæ coexistentiæ sunt relationes, sed relationes multiplicatur ad multiplicationem terminorum, qui possunt esse sine se inuicem, & nequeunt simul existere nisi termini simul existant, aut possint existere.

6. Probat: secundã partem: quia non posset illud, à quo haberet durare alia media hora sequenti, ergo deberet illud, à quo duraret integra hora, esse quid successiuum. Probat: sequela a precedenti: quia illud, à quo duraret prima media hora, non deberet necessario existere pro secunda: ergo esset indifferens, vt existeret v. l. nõ exist. ret pro secunda media hora: ergo vltius, vt existeret pro secunda deberet superaddi ipsi aliquid quo determinetur ad existendum pro secunda illa media hora: quemadmodum enim

enim ideo ponitur duratio distincta à re, quia res est indifferens ad existendum, vel non existendum tali, vel tanto tempore: ita etiam, si duratio, qua durat res pro prima media hora, sit indifferens, ut duret pro secunda media hora, debet necessario superaddi aliquid distinctum alioquin si non obstante indifferentia sua potest absque aliquo distincto durare pro secunda media hora, etiam ipsamet res posset durare absque aliquo distincto, non obstante indifferentia.

7 *Dices* illud, à quo res durans per horam habet durare pro media hora istius horæ, necessario debere durare pro altera media hora, & sic non esse indifferens, ut duret pro altera media hora, nec indigere consequenter aliquo distincto, ut sic duret.

Contra, quia si necessario deberet durare pro secunda parte horæ, Deus necessitaretur ad eius conseruationem pro secunda parte horæ: sed omnino absurdum est, quod Deus ex suppositione solum, quod producat creaturam vllā pro hoc instanti, necessitaretur ad eius conseruationem pro vltiori instanti; tum quia productio rei non magis debet esse libera Deo, quā conseruatio; tum quia alias non esset sub perfectissimo dominio Dei, quandoquidē non posset ipsum productum destruere pro omni tempore, seu instanti posteriori; tum quia qua ratione posset res exigere, ut conseruaretur pro secundo instanti necessario à Deo, posset etiam dici quod exigeret necessario produci pro aliquo instanti, quod absurdum sine dubio ab omnibus admittetur; tum denique, quia non potest concipi qua ratione res vlla creata existens in hoc instanti haberet trahere necessario, ac determinare Deum ad sui conseruationem pro secundo instanti.

8 *Dices*, posse habere rem hanc naturam, ut si existat, debeat existere tamdiu, quemadmodum duratio horaria ex natura sua intrinseca petit esse horaria, & lignum trium palmorum petit habere tres palmos.

Contra, licet duratio horaria debeat sine dubio, si existat, existere pro hora, quia alias non esset horaria, & lignum trium palmorum necessario debeat includere tres palmos, quia alias non esset trium palmorum: & vniuersaliter licet vnaqueque res debeat, si existit, habere suā naturam, quia sine ea nequit existere; tamen implicat quod illud, quod existit totaliter secundum omnem naturam intrinsecam suam pro vno instanti, debeat necessario obligare Deum ad dandum ipsi existentiam pro alio instanti, & implicat quod naturam habeat hoc necessario exigentem, propter rationes dictas.

Confirmatur: quia existentia rei pro hoc instanti nullam habet necessariam connexionem cum alio instanti sequenti: ergo ex suppositione existentie ipsius pro primo instanti, non necessario sequitur existentia ipsius pro alio instanti.

Confirmatur secundo: quia nihil potest determinare Deū ad aliquid faciendum physice, nisi vel moraliter vel physice; sed nihil existens in hoc instanti potest alterutro modo determinare Deum ad conseruationem eiusdem rei pro alio instanti: ergo. Probatur minor: non potest ipsum determinare moraliter, ut fatentur aduersarij, & patet quia non potest assignari, qua ratione sic ipsum determinaret. Non etiam physice, quia nihil determinat aliū physice nisi producendo aliquid in ipso, vel concurrendo physice cū ipso, ad aliquid: sed res existens in hoc instanti nihil producit in Deo, ut patet, nec concurret cū ipso ad aliquid producendum pro secundo instanti, nihil enim produci debet præter ipsammet rem: sed ipsamet res non concurret ad productionem sui in vllō instanti, & si concurreret etiā, absurdum esset quod creatura ex concursu suo physico habeat determinare Deum necessario ad concurrendum secum. Hinc patet male dicere *Arriagam*, quod non repugnet creatura indiuisibilis, quæ deberet necessario existere pro aliquo tempore.

9 *Obiicies* pro *Camerario* p. 2. q. 22. vbi tenet æuum & consequenter durationem cuiuscumque rei permanentis esse indiuisibilem, ac totam simul. Duratio sequitur modum essendi rei durantis, vnde tempus est duratio ccessiua, quia sequitur modum essendi in otus; ergo du-

ratio rei permanentis ac indiuisibilis debet esse tota simul ac indiuisibilis.

Confirmatur: ideo in æternitate Dei nulla est successio, quia in Diuino esse nulla est successio: ergo duratio rei permanentis, in suo esse nullam habentis successio- nem; debet esse tota simul.

Respondeo negando antecedens, loquendo de duratione, qua ponitur coexistens alicui successiui, supposito, quod illa duratio esset forma aliqua se tenens ex parte rei durantis; nec ideo præcise & solum tempus est duratio successiua, quia sequitur motum successiuum, quamuis hæc ratio sufficeret; sed etiam quia est duratio, quam ponitur motus coexistens tanto tempori.

Ad confirmationem respondeo negando antecedens in sensu præciso: sed potius ratio est, quia æternitas est infinita, ac se ipsa determinata ad coexistendum necessario cuiuscumque tempori existenti. Duratio autem, qua Angelus existit hodie, si sit quid creatum, non est infinita, nec determinata ex natura sua necessario ad faciendum ipsum existentem cras; vnde necessario debet addi aliquid quo determinetur ad existendum cras, & consequenter tota duratio Angeli nequit esse tota simul.

CONCLUSIO III.

10 *Duratio creata non distinguitur realiter à re durante, & actione qua producit ac conseruatur.* Hæc est conformis Scoto qui in 2. dist. 2. q. 2. dicit non esse necesse ponere aliquid reale siue absolutum siue respectuum intrinsecum Angelo, quod sit mensura eius: sequuntur *Scotista* communius, & recentiores, *Suar. met. & Valentia* 1. tom. dist. 8. q. 10. *Hurtad. disp.* 17. contra *Thomistas* communius, præsertim *Ruinum*, *Combricenses*, & *Complutenenses*, & *Arriagam* hic.

Probatur: quia eo ipso, quo res aliqua producit ac conseruatur, seu eo ipso quo terminat actionem productiuā ac conseruatiuā, durat vel instat vel tempore; ergo nihil aliud requiritur ut duret, & consequenter duratio non est aliquid realiter à re durante, & huiusmodi actione distinctum.

Confirmatur: quia nullum est indicium distinctionis realis inter rem conseruatam ac durantē, seu inter durationem, & conseruationem rei: ergo non debent distinguī, quia non sunt multiplicanda entia sine necessitate.

Probatur antecedens solutione Argumentorum, quibus innituntur *Aduersarij*.

11 *Complutenenses* hic q. 3. Respondent durationem non esse quamcumque permanentiam rei in esse, sed permanentiam formalem.

Ad quod intelligendum *aduerte secundum ipsos*, quemadmodum datur inter duo similia duplex similitudo, vna fundamentalis, quæ consistit in albedine, v.g. reperta in duobus similibus; & altera formalis, quæ consistit in respectu adueniente albedini, ac ipsa posteriori: ita duplex etiam permanentia in rebus reperitur: vna fundamentalis, quæ est permanentia illa in esse, quam habet substantia ab actione conseruatiua; & altera formalis, quæ est duratio formalis, & accidentalis.

Contra hanc responsionem: quia gratis, & absque vllō fundamento asseritur permanentia illa formalis distincta à fundamentali, & gratis dicitur illam, quam ipsi vocant fundamentalem, non esse durationem formalem: nam eo ipso, quo illa poneretur, & adesset tempus, res coexistere tanto vel tanto tempori: quod si non esset fundamentum aliquod distinguendi similitudinem formalem, & fundamentalem, profecto male distinguerentur.

12 *Probatur secundo*, quia si esset aliquid distinctum, vel esset quid absolutum, vel respectuum: neutrum dici potest: ergo non est aliquid distinctum ab illis.

Probatur minor: non respectuum, quia omnis respectus realis debet habere terminum realem, potest autem res durare absque eo quod sit aliquid reale: hinc, ad quod diceret respectum, ut si Deus vnum Angelum solum produceret. Non etiam absolutum, quia esset posterius re durante, & consequenter res durans posset produci absque illa, quod est absurdum: quia sic duraret, & non duraret, duraret quidem, quia produceretur; non duraret autem, quia non haberet durationem, quæ esset aliud absolutum posterius.

posterius quod non esset productum. Quod autem posset res durans produci absque illo positiuo posteriori, patet, quia omne absolutum prius alio posteriori potest produci absque illo posteriori, alias dependeret ab illo posteriori, & sic non esset prius illo, & hoc maxime locum habet quando non potest dari ratio necessariae connexionis vtriusque absoluti, vt contingit in proposito; nec enim potest ostendi quamnam sit ratio cur homo, verbi gratia, realiter distinctus à modo absoluto durationis non posset poni sine illo.

Dices, quia sequeretur, quod duraret, & non duraret. *Contra*: si durare haberet ab illo posteriori, id nõ sequeretur: neque esset inconueniens, quod aliquid esset in rerum natura absque duratione: & quamvis reuera absolute loquendo nihil potest esse existens absque duratione tamen hoc ideo verum est, quia non habet res durare ab aliquo se ipsa posteriori, sed ab hoc, quod producat ac conferuetur secundum esse suum proprium.

13 *Dices secundo*, actio ipsa habet durare tanto tempore ab aliquo à se realiter distincto: ergo & res producta per actionem.

Respondeo, quidquid sit de consequenti, negando antecedens. habet enim formaliter à seipso durare, & efficienter à causa efficiente per ipsa, quatenus talis causa vel naturaliter determinatur ad talem actionem habendam; vel libere se ad eam determinat: & quemadmodum illa ipsa duratio, si esset aliquid distinctum à re durante, haberet se ipsa durare formaliter, & efficienter à causa, à qua producit; ita de actione, & re terminante actionem est dicendum.

Dices tertio, Actio, qua conseruatur Angelus, verbi gratia, per vnā horā, est actio, qua producit pro qualibet parte istius horae: ergo Angelus nõ habet durare per horā à seipso, & illa actione. Probatur consequentia: quia si haberet à se, & illa actione durare per horā, non posset esse cum illa actione, quin duraret per horā: sed potest, quia actio illa est cum ipso pro prima parte horae, pro qua tamen parte Angelus nõ durat per horā.

Respondeo, distinguendo antecedens: est actio illa praecise & secundum se, nego: vt continuatur pro hora concedo antecedens & similiter distinguo consequens, à seipso & illa actione quomodoque, concedo consequentiam: à seipso & illa actione continuata, nego consequentiam.

Et si queras: à quo habet continuari: *Respondeo*, à se ipsa, & causis efficientibus, à quibus procedit.

14 *Probatur tertio*, quia si deberet poni aliquid distinctum à re & actione seu conseruatione, quod esset duratio rei, maxime quia res est indifferens vt sit tali vel tanto tempore: sed hoc non sufficit: ergo nõ debet poni duratio distincta à re & actione. Maior probatur, quia in eo consistit principale aduersariorum fundamentum ab *Arriaga* fuisse propositum, & confirmatum.

Probatur minor primo, quia determinari potest res ad durandum tandiu absque recurſu ad modum aut formā distinctam à re, & actione, vt patebit ex solutione obiectionū. *Probatur secundo eadē minor*, quia si propter indifferentiā rei ad existendū vel tādū vel tādū, debet aliquid distinctū in ipsa poni, quo determinetur, sequeretur quod deberet poni aliud quid distinctū à re durante hoc tempore, ad hoc vt coexistat cuicunque alteri rei, cui coexistit sed hoc est inconueniens: Probatur maior, quia est indifferens ad coexistendum cuicunque tali, quāuis enim res existat pro hora, nõ tamē eo ipso debet coexistere alteri rei, quae existit pro illa hora: ergo vt duratio huius rei coexistat alteri durationi, debet superaddi alia duratio. probatur minor, nempe quod hoc sit inconueniens: quia inde sequeretur maxima ac incredibilis modorū superaddendorum multiplicatio, deberent enim in vna, & eadē re producte esse tot coexistentiae, quot sunt res, & accidentia, & modi realiter distincti in toto mundo.

15 *Obiicit primo*: si res posset durare à seipsa & actione sine villo alio superaddito, etiā posset esse in loco à seipsa & actione absque superaddita forma illa, quam vocamus vbi, contra nostram propriam sententiam: ergo nõ debet

id asseri: probatur sequela à paritate rationis.

Respondeo, negando sequelam cum sua probatione, & disparitas est, quod res non habeat necessario esse in loco ex eo, quod producat, posset enim produci absque eo, quod esset in loco; habet autem durare eo ipso quo producit, ac conseruatur; vnde vt sit in loco aliquid aliud debet aduenire praeter actionem & conseruationem; non debet autem aliquid, praeter actionem, ac conseruationem aduenire, vt daret.

Confirmatur hoc: quia res potest poni in loco ab aliqua causa, à qua non potest produci, nec conseruari; nõ potest autem per actionem vllius durare, nisi illius, quae potest producere & conseruare vt patet; ergo signum est, quod non ponatur in loco per actionem productiuam, aut conseruatiuam, sed per actionem distinctam: quamuis per talem actionem poneretur durans.

16 *Obiicit secundo*: Angelus, v.g. est tam indifferens, vt sit in hoc & illo tempore, ac vt sit in hoc & illo loco: ergo quemadmodum propter illam indifferentiam ponitur vbi distinctum, quo determinatur ad hunc locum potius quam alium, etiam vt ponatur in hoc tempore potius quam alio debet poni aliquid superadditum; illud autem non est aliud, quam duratio: ergo duratio est aliquid superadditum, ac distinctum realiter à re durante.

Respondeo primo, negando subsumptum, quia duratio non est illud, à quo res habet esse hoc, vel illo tempore, vt dictum est in prima conclusione.

Respondeo secundo, concedendo totum, sed non facit contra conclusionem, quia non dicimus durationem non esse distinctam à re durante, sed eam non esse distinctam à re durante, & actione ac conseruatione eius.

Dices: ipsamet actio est indifferens, vt sit hoc vel illo tempore, aut vt duret tantum vel tantum: ergo vt sit hoc tempore, aut vt duret tantum, debet aliquid ipsi superaddi, quemadmodum ipsimet Angelo debet aliquid superaddi vt sit hoc tempore, aut vt duret tandiu, quia est sic indifferens.

Respondeo, distinguendo antecedens: ex suppositione, quod causa ipsius sit applicata cum illis circumstantiis, in quibus sequitur actio, nego antecedens: ex suppositione, quod non sit, concedo antecedens, & consequentiam. Itaque actio causae naturalis determinatur ad hoc, quod sit hoc tempore, & quod tandiu duret per hoc praecise, quod causa eius ponatur cum omnibus conditionibus requisitis ad agendum in hoc tempore, vel tam diu. Actio autem causae liberae similiter determinatur ad esse per volitionem causae liberae existentis tali tempore.

17 *Dices iterum* ipsamet causa tam naturalis quam libera est indifferens, vt sit tali vel tali tempore: ergo debet determinari per aliquid aliud.

Respondeo primam determinationem provenire à Deo, qui vult producere creaturas tali tempore, & nõ alio: supposita autē illa prima productione aliae determinationes proveniunt à causis secundis concurrente Deo.

Dices: ipsae res primo productae à Deo sunt indifferentes, vt producantur hoc vel illo tempore, & vt durent tam diu vel tam diu: ergo debent determinari per aliquid aliud.

Respondeo, eas determinari per volitionem Diuinam, qua vult eas producere ac conseruari tali ac tanto tempore, vel ab actione distincta ab illa volitione, si detur talis actio.

18 *Dices*: volitionem Diuinam, qua vult Deus rem conseruare pro vna hora, v.g. non posse distingui à voluntate, qua vult rem conseruare pro media hora, nisi obiectum vnius ex illis habeat aliquam differentiam ab obiecto alterius: sed nisi illud à quo res haberet durare per horam esset quid distinctum ab ipsa re, & volitione Diuina, non esset aliqua differentia ex parte obiecti vt patet: ergo necessario admittendum est aliquid distinctum à re & volitione Diuina, à qua res, quae est indifferens, vt duret tam diu vel tam diu, habeat durare tam diu, & non plus nec minus. Hæc est summa difficultas huius rei, ad quam tamen

Respondeo, negando antecedens, ex infinitate enim

volitionis Diuinæ oriri potest vt possit circa idem obiectum inuariabile alio, & alio modo se habere, & obiectum idem potest ab illa habere diuersas denominationes. Quod probō vltius; quia Deus potest per eundem actum voluntatis suæ velle producere Petrum, & nolle producere Petrum pro eodem instanti in sensu diuiso; & Petri productio posset consequenter habere denominationem noliti, & voliti ab illa eadem volitione Diuina: ergo similiter posset res habere denominationem duratis per horam, & denominationem durantis per mediam horam ab eadem volitione Diuina, absque vlla variatione ex parte obiecti præter variationem ortam ex ipsa voluntate Diuina formaliter.

Dices, nolitionem habere pro obiecto, negationem productionis, non vero ipsam productionem, & consequenter non esse idem obiectum vtriusque istius actus.

Contra: quia non haberet nolitionem negationis, sed potius volitionem: ergo obiectum nolitionis non est illa negatio, sed ipsamet productio, quam nollet.

Confirmatur hoc: quia nolitio, & volitio sūt actus essentialiter diuersi non minus quam amor, & odium: ergo non potest fieri quod actus, qui est nolitio, sit volitio, aut e contra: ergo nolitio productionis, non est volitio negationis productionis.

Rursus per eundem actum voluntatis suæ potest instituere Regem aliquem, quem actum realiter posset habere absque eo, quod instituat ipsum Regem absque vlla variatione ex parte obiecti, præter variationem desumptā formaliter ab ipsamet volitione Diuina. plura de hac re tractanda sunt in materia de voluntate Dei.

20 *Obiicitur tertio*: sequeretur, quod illa res, quæ ponitur in prædicamento quando, non esset respectus intrinsecus adueniens: non est enim aliud, quam id, quo coexistunt temporali vel tali: sed secundum doctrinam hic traditam non esset aliquid distinctum à productione, & conseruatione rerum, à quo haberent coexistere temporali, vel inter se: ergo non daretur respectus aliquis coexistentiæ pertinens ad prædicamentum quando, quod est contra Scotum, & dicta in Logica in eodem prædicamento.

Respondeo, mihi probabilissimū esse propter hanc ipsā rationem quod non detur ille respectus, quando: & quātū ad auctoritatem Scoti dico ipsum posse intelligi sic, vt non voluerit absolute, quod daretur ille respectus; sed ex suppositione tantum, quod entitas istius prædicamenti esset forma distincta realiter ab actione, & conseruatione tenens se ex parte rei durantis: ex qua suppositione melius sine dubio ponitur esse respectus extrinsecus adueniens, quam forma absoluta.

21 *Confirmatur* autem hæc sententia: quia si coexistentia ad alias res esset respectus extrinsecus adueniens, deberet produci per actionē ad se immediate terminatam, aut se ipsa egrediā causa producente rem, vt sic coexistente: & consequenter causa, quæ produceret re hodie, deberet simul cum re hodie producta producere tot respectus extrinsecus aduenientes in illa re, quot sunt res realiter distinctæ in rerum natura, quod absque necessitate maxima dici nequit.

Deinde causa producens respectū extrinsecus aduenientem in vno subiecto, est illa ipsa, quæ causat correlatiū istius respectus in termino eius: verbi gratia, causa quæ producit in Ioanne coexistentiam ad Petrum producit etiam in Petro coexistentiā ad Ioannem: hoc autem videtur valde difficile, quia sequeretur, quod Ioannes existens Romæ produceret per actionem physicā respectū coexistentiæ in illis, qui sunt in Indiis; aut si illi respectus non producuntur per actionem, sequeretur, quod respectus illi in India phyfice egrederetur immediate à Ioanne existente Romæ: quod videtur durum non solū in sententia non admittentium actionem in distans: sed etiam in sententia admittentium, quia non admittunt actionem creature posse naturaliter esse in quacunque distantia, sed concedunt spherā determinatam actiuitatis quicunque creaturæ iuxta naturam, & vires eius.

Respondeo secundo, negando sequelam: quia quamuis illud, à quo haberet res durare tam diu, non sit quid distinctum à re conseruata & conseruatione: tamen illud à quo res haberet esse coexistens alij rei, esset quid respectuum, quia denominatio illa coexistentiæ ad aliam rem est relatiua, & separabilis à productione, ac conseruatione rei tanta vel tanta. Angelus enim solus productus posset conseruari in æternum, quamvis nulla alia res creata esset producta, cui coexisteret.

22 *Obiicitur quarto pro Complutensibus*: duratio motus distinguitur realiter à motu, & est aliquid accidens ipsius ipsi intrinsece adueniens: ergo & duratio cuiuscumque rei à paritate rationis.

Respondeo deo, negando antecedens, de quo questione sequenti. Quod si antecedens esset verum, ideo esset verum, qui aliqua ratio particularis id probaret de motu, quæ non curreret in aliis rebus. Et hoc supposito, quāuis antecedens esset verum, neganda esset consequentia, & dandum pro disparitate, quod ratio id suadens de motu, non curreret in aliis durationibus.

Obiicitur quinto: prius est rem existere, quam durare: ergo duratio habet se vt accidens respectu existentia, seu rei existentis: probatur antecedens, quia existentia est magis intrinseca rei, quam duratio.

Confirmatur, quia duratio Dei intrinseca, nempe æternitas, solum distinguitur virtualiter eminenter ab essentia, & esse diuino: ergo in creaturis duratio earum distinguitur actu ab illis etiam vt existentibus. Probatur consequentia, quia distinctio virtualis, quæ est in Deo inter esse eius, & attributa, sumitur ex distinctione reali, quæ est in creaturis inter similes rationes, vt distinctio virtualis sapientiæ & iustitiæ desumitur ex distinctione reali, quæ est inter sapientiam creatam, & iusticiam creatam.

23 *Respondeo*, distinguendo antecedens: prius est rem existere, quam durare, capiēdo durationem, prout extenditur ad durationem instantaneā, nego antecedens, ab eodem enim habet formaliter recipere existentiam & durationem: & si duratio sit formaliter existentia, non est magis intrinseca vna, quam altera; si vero duratio sit actio productiua, aut conseruatiua, quamvis magis sit intrinseca existentia quam actio, non sequitur quod duratio sit accidens distinctum ab actione & conseruatione: nos autem solum contendimus non esse aliquid accidens ab his distinctum, & Complutenses volunt, quod sit accidens ab his distinctum.

Respondeo secundo, negando consequentiam, quia licet sit prius, hominem esse rationalem, quam resibilem, nõ sequitur, quod resibilitas sit accidens distinctum realiter ab homine: ergo quamvis prius esset hominem existere quam durare, non sequitur vi formæ, quod duratio sit accidens distinctum realiter ab homine.

Respondeo tertio, distinguendo consequens: vt accidens distinctum ab actione, & conseruatione, nego; vt accidens identificatum realiter illis; transeat consequentia: nec hoc sufficit Complutensibus, aut officit nobis.

24 *Ad confirmationem respondeo primo* negando consequentiam: ad cuius probationē, nego ex sola distinctione reali rerum creaturarum argui distinctionem virtuale aut formalem in diuinis: nam talis daretur distinctio inter intellectum diuinum, & voluntatem diuinā, quæ tamen in creaturis secundum meliorem Scoti sententiam non distinguitur realiter. Quod si solummodo ex distinctione reali creaturarum inferretur distinctio virtualis in Deo, petunt Complutenses principium, dum dicunt dari distinctionem virtuale inter esse diuinum, & durationē; aut probant ignotum per æque ignotum, quia tam ignotū erit dari illam distinctionem inter esse diuinū & eternitatem, quam dari distinctionem realem inter durationem creatam, & existentiam creatam, vt patet.

Respondeo secundo distinguendo consequens: distinguitur actu ab illis, vt existentibus, & actione, & conseruatione earū, nego consequentia: ab illis solis, non connotatis actione, & conseruatione, concedo consequentia: sed non est contra conclusionē, nec inde sequitur quod duratio sit accidens aliquid distinctum ab actione, & conserua

Probabilis
de quod
non de
ur respectus
quæ
do.

conservatione, & intrinsece efficiens rem existentem. *Scotus* communiter, vt dixi, conueniunt in hac conclusione, nimirum quod nihil requiratur, vt res duret, quam ipsamet res cum actione productiua, & conseruatione. Sed *Masius* tamen dicit ipsamet existentia esse formaliter durationem. Et si opponatur ipsi quod existentia possit esse absque eo quod duret per horam aut annum; Respondet hinc sequi solummodo, quod duratio ultra existentiam, quam per se primo formaliter dicit, importet per modum connotari aliquid aliud; & explicat illud aliud esse respectum coexistentie alicui durationi imaginaria, qui est respectus rationis.

Verum, quidquid sit, an duratio formaliter, & per se primo sit sola existentia, ei, licet præterea dicat connotatione, & secundario aliquid aliud, nempe actionem aut conseruationem, aut respectum aliquem: an vero per se primo sit ipsamet actio seu conseruatio: an denique dicat per se primo vtrumque, & existentiam, & actionem seu conseruationem: quidquid inquam sit de hoc, quod parui proflus momenti est; cum sufficiat ad cognitionem reale durationis scire, quot, & quæ realia requiruntur ad hoc, quod res duret; nullo modo placet illud de respectu rationis: neque enim duratio, à qua realiter res durat, potest dependere, etiam tanquam à connotato, à respectu rationis: quamuis enim nullus esset intellectus possibile, nec consequenter ullus respectus rationis esset possibile adhuc res possent durare, & vna res magis, quam altera: ergo impertinens est ad rationem durationis realis omnis talis respectus.

26 *Confirmatur* quod vna duratio realis connotet respectum aliquem rationis, quem non connotet alia duratio, non oritur præcise ex operatione intellectus absque fundamento aliquo ex parte durationis, alias vna duratio haberet esse maior altera per hoc præcise quod consideratur ab intellectu maior altera; aut per hoc quod fingeret intellectus aliquem respectum in vna, quem non fingeret in altera, quo nihil est absurdius: ergo debet ad illam respectum præsupponi aliquod fundamentum reale, ratione cuius sit talis in vna, qualis non est in altera sed illud fundamentum non est ipsamet existentia præcise absque aliquo alio reali distincto: ergo debet aliud connotatum distinctum ab illo respectu assignari pro duratione: sed illud solū sufficit, vt res à parte rei duret tādū, vel tamdiu: ergo non requiritur respectus ille rationis, vt res dicatur durare à parte rei, quidquid sit, an requiratur, vt intellectus intelligat rem durare tamdiu vel tamdiu: Quod argumentum mihi videtur convincere intentionem, non solum intelligendo per respectum rationis respectum aliquem, qui fingeretur ab intellectu, sed etiam illum, qui esset à parte rei independenter ab intellectu, & vocaretur rationis, non quod haberet esse à ratione, sed quia non haberet terminum realem.

CONCLUSIO VLTIMA.

Duratio adæquate diuiditur in æternitatem, æuum & tempus. Hæc est communissima, & probatur quia nulla est duratio, quæ non sit vel rei permanentis, id est existentis secundum omnes suas partes simul; vel rei successiue, id est non existentis secundum omnes suas partes simul, vt est motus successiuus. Si sit duratio rei successiua, erit tempus, si rei permanentis, vel rei permanentis carentis principio & fine, & est æternitas; vel est duratio rei permanentis carentis principio siue careat fine, siue non, & est æuum: ergo nulla est duratio, quæ non spectet ad aliquam ex his tribus, & consequenter duratio vt sic adæquate diuiditur in illas. Nō nego tamen quin ex his tribus duratio, quæ est æternitas, possit diuidi in illā, quæ est talis ex natura sua intrinseca necessario sine dependentia: qualis est æternitas propria Dei; & illam quæ non est talis sine dependentia à causa efficiente extrinseca, qualis esset æternitas, quæ cōpeteret creaturæ, si prodaceretur à Deo aliqua creatura ab æterno, & conseruaretur in æternū; quæ vocatur æternitas participata.

Rursus æternitas participata potest diuidi in illā, quæ caret principio & fine, & illam quæ caret principio, sed non caret fine, qualem haberet Angelus productus ab

æterno; & destructus hodie. Præterea, æuum potest diuidi in durationē rei permanentis habentis principium, & carentis fine, qualis est duratio quam habent Angeli, & anime rationales, & secundum aliquos corpora celestia; & illam quæ habet principium & finem, qualis est duratio rerum permanentium, quæ corrumpuntur, ac destruiuntur de facto, vt ignis, calor, brutorum, hominum in mundo degentium. Sed de æternitate, & æuo fufius agi solet in Theologia, hic pauca de Tempore subiungere sufficiet.

QVÆSTIO II.

Quid est tempus?

28 *D*uplex considerari solet ab authoribus Tempus, vnum intrinsecum, alterum extrinsecum. Tempus intrinsecum est duratio rerum successiuarum, vt duratio motus localis, quo quis ab vno loco ad alium locum se conferret: quemadmodum enim æuum, & æternitas est intrinseca duratio rerum permanentium, ita tempus intrinsecum est duratio rerum successiuarum. Tempus extrinsecum est numerus motus secundum prius, & posterius, pro vt communiter explicatur. id est, quod est aptum natum declarare, & certificare nos de duratione intrinseca motus, ita vt per ordinem coexistentie motus ad illud possimus scire, quamdiu durauit motus, & quisam motus alio diutius durauerit. De vtroque hoc tempore aliquot hic difficultates expediemus, ex quarum solutione vtriusque natura melius percipietur.

CONCLUSIO I.

29 *Tempus intrinsecum non distinguitur realiter à re successiua, vt successiua est, cuius tempus dicitur esse duratio intrinseca: v.g. Tempus intrinsecum, seu duratio intrinseca motus, quo navis mouetur ex Hibernia in Angliam, seu Sol ab oriente ad occidentem, non distinguitur realiter ab ipso motu.* Hanc insinuat *Scotus* 6. metaph. q. 10. 2. d. 2. q. d. 8. sed longe expressius in opere de rerum principio q. 28. nuper reperto, ac inter opera Scoti excuso. Est autem contra Thomistas, ac illos, qui putant vniuersaliter durationem creatam esse modum superadditum existentie rei durantis: & nominatim contra Complutenses hic q. 3. Camerarium q. 2. 2. qui multos Scotistas pro se citat.

*Probat*ur: quæ distinguuntur realiter, aut possunt realiter separari, aut subieciuntur in diuersis subiectis, aut ex illis vnum produciuntur realiter ab altero: sed idem numero motus nequit separari realiter à duratione sua intrinseca, aut hæc ab illo; nec alterum ab alio causatur realiter, nec subieciuntur in diuersis subiectis: ergo non distinguuntur realiter.

Confirmatur: quia nulla est necessitas ponendi durationem distinctam realiter à motu: ergo non est ponenda: quia non sunt multiplicanda entia sine necessitate.

Confirmatur secundo: quia duratio rerum permanentium non est quid intrinsecum ipsis, & realiter distinctum, vt patet ex dictis: ergo nec duratio rerum successiuarum, à pari, vel à potiori: quia res permanens videtur magis indifferens, vt duret diuersis durationibus, quam res successiua, vt successiua.

30 *Obiicit primo*: Idem motus potest esse duplo velocior, vt si primum mobile spatio duodecim horarum circuiret orbem, quem de facto non circumit, nisi vigintiquatuor horis; potest etiam esse duplo tardior, vt si quadraginta octo horis eundem conficeret circuitum: sed idem tempus non potest esse velocius, aut tardius, quam semel est: alias ex coexistentia aliquorum ad idem tempus non posset colligi, quod æque diu durarent: ergo tempus distinguitur realiter à motu.

Confirmatur: quia potest contingere, vt duo motus sint inequales in partibus suis, & equalis durationis: ergo duratio distinguitur à motibus illis, & consequenter tempus intrinsecum. Probat'ur antecedens: quia motus Solis per orbem posset esse æqualis durationis cū motu lapidis à S. Petro ad S. Ioannem Lateranensem, v. g. si lapis tam tarde moueretur, vt nō perficeretur motus eius, nisi vigintiquatuor horis: sed nō posset habere tot partes, quot haberet motus Solis, cū non percurreret tantum spatij.

Bbb z Proba

568 PHYSICA. De Tempore ac Duratione,

Probatur etiam consequentia: quia si duratio non distingueretur, deberet habere tot partes, quot haberet motus, & sic duæ durationes æquales nequirent esse in motibus inæqualibus, seu inæqualium partium.

Confirmatur secundo: aliæ sunt proprietates motus, & aliæ temporis, seu durationis motus: ergo distinguuntur realiter. Probatur antecedens: quia proprietas motus est, quod sit tardus, vel velox; hoc autem non est proprietas temporis; sed quod sit longum vel breue.

³¹ *Respondetur* negando maiorem: quamuis enim idem spatium possit velocius aut tardius percurri, tamen non eodem numero motu, vt motus dicit successionem talem vt talem; vt sic autem tempus non distinguitur realiter ab illo. Itaque in motu possumus considerare & acquisitiones particulares termini ad quem fit v.g. in motu locali vbi particularia intrinseca, quibus fit corpus successiue præiens spatio per quod transit, & possumus etiam considerare moram illam, quam faciunt istæ acquisitiones, seu ista vbi partialia in succedendo sibi inuicem; si autem per motum intelligitur aggregatum ex istis acquisitionibus absque successione, line dubio tempus distingueretur realiter à motu: quia motus sic acceptus posset esse in instanti, quidquid enim acquiritur per motum vnius horæ ad calorem, posset acquiri in instanti, saltem supernaturaliter: sed si per motum intelligeretur, vt certe debet intelligi, loquendo de motu proprie dicto, qui est successiuus, nõ aggregatum ex illis acquisitionibus quomodocumque, sed aggregatum ex illis & ex successione particularibus etiam, quas illæ acquisitiones habent inter se, tempus nõ distinguitur realiter ab illo.

³² *Si autem quæras*, à quo habeant istæ acquisitiones, quæ possunt esse simul, non esse simul, sed succedere sibi inuicem, & aliquando quidem cum minori mora, aliquando cum maiori.

Respondetur, quod efficienter habeant hoc à causa efficiente motum, & impediuntis, aliisque conditionibus concurrentibus, formaliter autem habent hoc à se ipsis supposita actione tali, quali producuntur: saltem nihil aliud requiritur realiter, vt sit talis successio inter illas quam quod tali actione à tali causa in illis circumstantiis proueniente producantur.

Per hoc patet ad confirmationem, cuius antecedens est distinguendum: potest contingere vt duo motus, quorum partes sunt inæquales, quantum ad acquisitiones, quas motus importat, sint æqualis durationis, cõcedo antecedens; vt duo motus inæqualium partium, quantum ad successionem, quam vltra istas acquisitiones motus importat, sint æqualis durationis, nego antecedens, & similiter distinguo consequens: ergo duratio distinguitur à motu, in quantum dicit istas acquisitiones, concedo consequentiam; in quantum dicit successionem, nego consequentiam.

³³ *Ad secundam confirmationem respondeo primo*, negando consequentiam, quia possent habere diuersas proprietates formaliter, & essentialiter, quamuis distinguerentur solum formaliter, vt habet intellectus & voluntas.

Respondetur secundo, distinguendo antecedens: quatenus motus includit tot partes quæ succedunt sibi inuicem, cõcedo antecedens; quatenus includit tot partes ipsiusmet successionis, nego antecedens: & similiter distinguo probationem antecedentis: quatenus motus includit illas partes quæ succedunt sibi inuicem, cõcedo, quatenus dicit ipsam extensionem successionis, secundum quã potest coexistere tanto vel tanto tempore extrinseco, nego antecedens.

Itaque motus dicitur tardus vel velox præcise, quatenus partes formæ, quæ acquiruntur per motum, citius vel lentius acquiruntur quam alias possent acquiri, aut quam tot partes acquisitæ per alium motum acquiruntur: sub hac autem ratione non habet rationem temporis intrinseci aut durationis, sed quatenus habet tandiu durare aut tandiu.

Obiicitur secundo, secundum Augustinũ 11. *Confess. c. 24.* motus non est tempus, quia fit in tempore: quæ etiam ententia videtur Philosophi variis in locis hoc libro. *Respondetur primo*, Augustinum ac Philosophum loqui de

tempore extrinseco, quo mensuratur motus, & in quo dicitur motus fieri; non verò de tempore intrinseco.

Respondetur secundo, eos intelligi posse optime in sensu formali, sic vt velint quod tempus non sit formaliter idem quod motus: quod est verum; sed non sequitur, quod tempus & motus non sint realiter idem. Quod autem motus & tempus formaliter distinguantur, patet, quia motus consideratur in ordine ad formam, quæ acquiritur: tempus vero in ordine ad quantitatem durationis, quam habet motus.

CONCLUSIO II.

³⁴ *Tempus extrinsecum est necessario quid successiuum.*

Hæc est *Doxoris* in 2. d. 2. q. 3. quem præter suos sequitur Suarez disp. 50. met. sect. 5. *Vasquez* 1. p. d. 34. c. 2.

Probatur: quia nihil, nisi successiuum potest mensurare nobis quantitatem motus, hoc est certificare nobis, seu certiores nos facere de extensione durationis eius: sed tempus extrinsecum est id, quod potest mensurare motum: ergo nihil præter aliquid successiuum potest esse tempus extrinsecum.

Confirmatur: quia ex coexistentia motus ad quid permanens, vt sic, non potest cognosci, an vnus motus magis durauerit, aut minus quam alius, imo quam motus instantaneus, quia hic etiam posset eidem rei permanenti coexistere: ergo res permanens nequit esse mensura motus, quatenus permanens, & cõsequenter res permanens nequit esse tempus extrinsecum, sed necessario pro tali tempore requiritur quid successiuum.

Dices, ex coexistentia motus ad æternitatem, quæ est quid indiuisibile & permanens, posset cognosci, quando durauerit, ex eo scilicet, quod longius, vel breuius coexistit illi.

Contra, quia non possemus scire, quod longius vel breuius coexisteret æternitati, nisi quatenus compararem æternitatem alicui successiuo: ergo æternitas ex se non certificaret nobis quanta esset duratio motus; sed tantum ratione successiuo, cui compararetur. Quod autem duratio permanens, vt coexistens alicui successiuo possit habere rationem temporis extrinseci, non est nec inconueniens, nec contra conclusionem, quæ solum loquitur de eo, quod potest per se esse tempus, & ratione alterius, & de necessitate successiuo ad tempus, ita vt nihil possit esse tempus, nisi vel successiuo vel aliquid coexistens successiuo, vt coexistens ipsi. Hoc modo autem explicata conclusione, credo eam esse cõmunem: & saltem non est contra *Auersam quæst. 29. sect. 7.* quamvis citetur pro opposito ab aliquibus.

CONCLUSIO III.

³⁵ *Motus cuiuscumque successiuus præsertim finitus est tempus extrinsecum particulare: motus vero primi mobilis est tempus extrinsecum vniuersale.* Hæc est communis, quia omnis motus successiuus, præsertim finitus, potest certificare nobis quantitatem alterius motus: ergo omnis talis est tempus extrinsecum, quia per tempus extrinsecum nihil aliud intelligimus, quam id, quod potest nobis declarare quandiu durauit motus aliquis. Dixi *præsertim si sit finitus*: quia supponitur communiter quod mensura debeat esse certa & limitata, qualis nõ videretur esse motus etiam infinitus. Sed certe motus etiam infinitus posset mensurare nobis quantitatem alterius motus infiniti, ita vt quicumque cognosceret vnum motum esse infinitum, posset etiam eo ipso cognoscere, quod alius motus semper coexistens ipsi debeat esse infinitus.

Probatur secunda pars conclusionis: quia illud est tempus vniuersale, quo communiter omnes homines vt solent ad mensurandas durationes rerum: sed illud est motus primi mobilis, & hinc iste motus est diuisus ad hominum commoditatem in horas, dies, menses, annos; & motus qui coexistit vel coexistere potest vigesima quartæ parti motus, quo voluit primum mobile circa terram, dicitur durare per horam; ille vero, qui coexistit motui eius circa terram, dicitur durare per diem ac noctem, seu per viginti quatuor horas.

Et si quærat, cur iste motus sit tam vniuersaliter acceptus.

Respondetur

Tempus extrinsecum est necessario quid successiuum.

Motus omnis successiuus potest esse tempus.

Motus successiuus potest esse tempus.

Respondet, quia est valde regularis; inuariabilis, ac notus omnibus, nec alius aptior assignari potest, quod deberet assumi.

Et si querat præterea: cur motus Solis ipsius non dicatur esse tempus vniuersale? *Respondet* secundum communior sententiam, de qua tamen in libris de Cælo, Solem habere duos motus, vnum proprium, & alterum ratione alterius. Proprius autem motus non est tam notus, quam motus illius ratione alterius, qui est ille motus, quem habet ratione motus primi mobilis, & coincidit cum motu illi primi mobilis; unde motus primi mobilis potius pro tempore vniuersali acceptari debebat quam motus Solis, nempe proprius.

Obijciunt contra primam partem: si quicumque motus posset esse tempus, vnum tempus posset mensurari alio tempore: vnus enim motus potest mensurari alio motu; sed hoc videtur inconueniens.

Respondet negando minorem: sicut enim vna vlna, quæ est mensura panni, potest mensurari per aliam vlnam; ita vnum tempus, licet esset mensura alterius, potest tamen per aliud mensurari absque inconuenientia.

CONCLUSIO IV.

Tempus extrinsecum est quid reale, & nullo modo necessario indiget entis rationis, neque tanquam rationis formalis, neque tanquam complementi. Hæc est communior, & vix in re ipsa potest esse controuersia, quamvis aliqui autores aliter videantur loqui.

*Probat*ur prima pars: quia motus est ens reale: res enim realissime nouentur, vt euidens est: sed tempus realiter identificatur motui: ergo erit quid reale.

Confirmatur: quia motus realis habet ex natura sua posse certificare intellectum de extensione durationis rerum; sed quod hoc habet facere, est tempus: ergo tempus est quid reale.

Dicitur, non posse certificari intellectum per motum, nisi intellectus aduertat ad coexistentiam rei, de cuius duratione redditur certus, cum motu: ergo tempus dependet ab aduertentia intellectus, vt certificet, & consequenter licet habeat rationem mensuræ remotæ absque intellectu, non tamen rationem mensuræ proximæ. Sed quando dicitur, quod tempus sit mensura motus, id debet intelligi de mensura proxima, non de remota: ergo tempus non est quid reale, quod enim dependet ab intellectu aduertente & considerante, non est quid reale, sed rationis.

Respondet, quidquid sit de subsumpto, quod posset negari tanquam gratis assertum: cur enim potius de mensura proxima, quam de remota id debet intelligi? sed quidquid sit inquam de hoc,

Respondet negando vltimam consequentiam cum sua probatione. Itaque quamvis tempus extrinsecum ultra motum diceret formaliter aduertentiam intellectus, sicut res cognita dicit formaliter cognitionem, tamē cum illa aduertentia sit quid reale, tempus etiam sic acceptum erit quid reale, non minus quam cognitum vt cognitum, & visum vt visum.

38 *Hinc probatur secunda pars conclusionis*: nō indiget tempus aliquo ente rationis vlla ratione, nisi quatenus indiget aduertentia intellectus, seu applicatione eius: sed posset indigere hoc absque eo quod indigeat ente rationis, sicut potest habere hoc absque eo, quod accedat ipsi ens rationis: ergo nulla ratione indiget ente rationis.

Confirmatur per omnia illa, quibus in Logica probauimus non necessario sequi entia rationis ad denominationes extrinsecas.

Ex quo etiam patet, quod quamvis tempus vniuersale dependeret ab intellectu, quantum ad distributionē determinatā eius in tales vel tales partes, verbi gratia, in horas, dies, menses, annos, quod adhuc non diceret ens rationis, quia haberet illam denominationē ab actibus realibus intellectus ac voluntatis, absque eo, quod esset necessarium fingere, aut concipere aliquid realiter impossibile.

39 *Obijciunt*: tempus est compositū ex partibus successiuis vt successiuis, atque adeo talis naturæ, vt implicet vllam partem eius simul existere, & multo minus totum tempus: ergo non est quid reale. Probatur consequentia: quia illud non est reale, quod neque secundum partem sui, neque secundum totum vnquam existit, aut existere potest.

Confirmatur: tempus componitur ex præterito & futuro: sed nec præteritum est realiter existens, nec futurum; nec vt sic possunt existere: ergo nec tempus.

Hæc obiectio æquè probaret motum successiuum non esse quid reale, contra omnem experientiam & rationē; unde sicut id non probat; nec probare poterit, quod tempus non sit quid reale. Tolleretur autem difficultas eius, si diceretur tempus componi ex indiuisibilibus vltimate, sibi inuicem succedentibus, quia omnis pars vltimate ipsius aliquando existeret.

Sed respondetur independenter ab illa sententia, negando consequentiam, cum supposito probationis; tantum enim tempus existit, & secundum se totum, & secundum omnes partes, sed successiue tamen & non simul. Sicut enim res permanens debet posse existere secundum omnes partes simul, & res indiuisibilis nequit existere secundum successionem partis ad partem, quia hoc esset contra rationem, ac naturam ipsius: ita etiam res successiua, vt successiua, non debet existere secundum partes simul, quia sic non esset successiua. Itaque motus hodiernus existit hodie realissime, & externus existit realiter heri, & futurus existet realiter postea, & possibilis potest existere, non tamen pro vilo instanti.

40 *Ad confirmationem respondeo*, negando, quod omne tempus componatur ex præterito & futuro; nam ipsum præteritum non includit aliquid futurum, nec futurum includit aliquid præteritum: solum ergo tempus aggregatum ex præterito & futuro componitur ex præterito & futuro, & illud ipsum est reale, quia præteritū fuit realiter, & futurum erit realiter. quod si sensus antecedentis sit, quod tempus componatur ex partibus, quarum vna necessario est prior, & altera posterior; & consequenter quarum vna, id est prior, debet esse præterita, quando aduenit altera, quæ est posterior, & quarum vna, id est posterior, debet esse futura, quādo altera, id est prior est præterita, concedo antecedens, sed nego consequentiā: quia hoc non obstante potest esse quid reale, quandoquidem, & illa pars præterita sit præterita realiter, & pars futura sit realiter futura.

Alii respondent, tempus esse reale ratione instantis realis, quod partes ipsius copulat, & quod existit realiter: sed sane ipsæ partes temporis non essent reales; nec instans temporis copularet illas; nec esset verum, quod tempus realiter existeret, quamuis instans ipsius existeret, præsertim cum instans non sit pars temporis, quod si partes temporis sint reales, ipsum tempus conflatum ex illis, vt conflatum ex illis erit reale absque eo, quod sit recurrendum ad instans eius, vt ab eo sumat denominationem realitatis.

Addo, quando quæritur, an tempus sit reale, non esse quæstionem, an sit reale per denominationem desumptam ab aliquo, quod non est tempus, nec pars temporis: sed an secundum entitatem suam propriam, & secundum suas partes sit reale. Huic autem quæstioni non satisfacit responsio illa de instanti, vt patet; unde reuera non est ad propositum.

Alii dicunt, partem aliquam proportionalem indeterminatam temporis simul existere; sed cum illa pars debeat esse successiua, ac includens prius ac posterius, implicare videtur, quod secundum se totam simul existat. Itaque in nostra responsione, quæ est satis communis, sistendum est. Et hæc de hoc libro difficili sufficiant ad Dei gloriam.